



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 43. Regis, ac Guisii Ducis epistolæ ad Provincias.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

**Sæcul. XVI.** licis stipatus Trappæ prope Versallias  
**A.C. 1588.** pernoctabat, altera autem die Carnutum contendit. Guisius Dux per hanc fugam sua spe frustratus unice eo intentus erat, ut Parisinam urbem sibi subjiceret: porro eidem præprimis Laurentius Testus Bastilliam, cui præerat, tradidit, ipse vero Dux Vincennis postea occupatis comitia indixit, ut novi Magistratus crearentur, ubi Perrusio ex auctorato, ac Bastillæ arci incluso Cappella Martellus Mercatorum Præfectus nominabatur, & cum uterque Ædilis Contius, & Lugolius Regem secuti abessent, eisdem subrogabantur Companus, & Rolandus ambo Guisio Duc, & Fœderatis addicti: denique Bastillæ administratio Buffio Clerico ex sedecim vehementissimo committebatur: hoc enim nomine insigniebantur illi, qui fœderatorum nomine in sexdecim Parisinæ Urbis Regionibus imperitabant.

### §. XLIII.

*Regis, ac Guisii Ducis epistola  
ad Provincias.*

*Thuan. l. c.  
Mem. de la  
Lig. t. 2.  
pag. 352.  
& 359.*

Postea Rex Carnutum delatus die decima septima Maji ad Provinciarum Rectores ea omnia, quæ nuper Parisiis contigerant, perscripsit, eisdem præcipiens, ut suæ jurisdictionis urbis Parisiensium seditionem nuntiarent, omni-

omnique studio præpedirent, ne ejus- Sæcul. XVI.  
modi ausus in eorum Provinciis atten- A.C. 1588.  
tarentur: insuper eosdem hortabatur,  
ut ad fistendos falsos rumores, quos tran-  
quillitatem publicam turbandi studio  
maligni spargebant, suam auctoritatem  
prudenter impenderent. Sub idem  
quoque tempus Rex alias literas trans-  
misit ad Regni Urbes, quibus sinceram  
suam erga illas propensionem, necnon  
suum pro tuenda Catholico - Romano-  
Apostolica Religione studium testabatur,  
eisdem pollicitus, quod tributa, &  
vectigalia, quamprimum bellum ad-  
versus hæreticos erit finitum, immi-  
nuere paratus sit.

Eadem die Guisius Dux datis ad  
Regem literis hæc perscripsit: „sum-  
„mopere doleo, quod mala mea for-  
„tuna ita tulerit, ut malevoli Regis  
„aures per calumnias artificiose excogi-  
„tatas clauerint, & nullum gratiæ  
„apud Majestatem suam locum mihi re-  
„liquum fecerint..”

Postea Parisinam seditionem excu-  
sans subjunxit: „malevolorum perti-  
„nacia effecit, ut sua Majestas sibi fa-  
„tisieri minime pateretur, & auctis  
„per falsas criminationes suspicionibus,  
„se, & urbem in summum periculum  
„adduxerit, introductis in eam exter-  
„nis copiis, quarum terrore ad extre-  
„main

**Sæcul. XVI.** „mam desperationem adacti cives arma  
A.C. 1583. „pro justa defensione sua sumpferunt,  
 „ubi insperato Dei innocentium caussæ  
 „patrocinantis beneficio perniciosa con-  
 „ſilia dissipata, & Urbs Regi incolu-  
 „mis servata fuit, exituque illius diei  
 „fatis constitit, quantum animus meus  
 „abhorreat a confiliis, quæ contra Ma-  
 „jestatem suam agitare a calumniatori-  
 „bus falso insimulatus fu: quod ut ma-  
 „gis sibi persuadeat, exoro Majestatem  
 „suam, ut in animum revocet, quod  
 „conscientia mea tutus, & sola Cle-  
 „mentiæ regiæ fiducia fretus in ipsius  
 „manus ultro me consignaverim, &  
 „cum primum ad me de introductis in  
 „Urbem Helvetiis, ac prætorianis nun-  
 „tius perlatus est, solus, & inermis  
 „repertus sim in privatis ædibus, ac  
 „fortasse minore cum comitatu, quam  
 „pro tempore, & dignitate mea de-  
 „cuisset, ut ex eo cunctis manifestum  
 „fit, me lædi, lædendi autem metum  
 „aut consilium non habuisse: porro per  
 „hoc, quod intra moderamen justæ  
 „defensionis tali in periculo me con-  
 „tinuerim, & omne studium, ac cu-  
 „ram in refrænanda plebe, & afferen-  
 „dis ab injuria plerisque ex Regis Mi-  
 „nistris, quos tamen multa apud Re-  
 „gem in perniciem meam machinatos  
 „sciebam, neconon in salvandis Hel-  
 „vetiis,

„vettiis, & prætorianis justæ plebis Sæcul. XVI.  
„iræ expositis posuerim, omnibus testa- A.C. 1588.  
„tum redditur, qua reverentia Majesta-  
„tem Regiam colam, & quam alienum  
„a turbanda Urbis quiete animum ha-  
„beam, quantumve sollicitus sim, ut  
„gratiam Regi præstem, nihilque, quod  
„ei merito displicere possit, admittam.  
„Hæc si Regia Majestas mature, ac dis-  
„cuso omni sinistro suspicionum nubilo  
„apud se perpenderit, confido, ut de  
„innocentia mea ipsi abunde constet:  
„interea fateor, me longe maximum  
„dolorem sensisse ob repentinum mei Re-  
„gis discessum, quo effectum est, ut  
„fatis manifeste cognoscere potuerim,  
„quod Regia Majestas fidem, atque  
„innocentiam meam, necnon sinceram  
„agendi rationem sibi suspectam ha-  
„buerit. „

Guisius insuper magis adhuc per-  
spicue, ac prolixius ad suos Amicos,  
urbesque prescripserat, semper pluri-  
mum Regis clementiam commendans,  
seque unice timere afferens, ne Rex  
a pravis consultoribus, qui eum jam  
multoties magno Religionis malo in  
easdem difficultates, & angustias præ-  
cipitem dederant, impulsus laudabile  
de bello contra Sectarios prosequendo  
consilium intermittat.

#### §. XLIV.